

Quia videlicet Judaeis tanquam ratione utentibus Angelus predicare debuit, G. n. ubi vero, quia uti ratione nesciebant ad cognoscendum Dominum, non per vocem, sed per signa produntur.

judicium, inde alios judicent, affectusque suos regant.

Secundo, omnes isti senes apparent, cum multi juvenes magna sanctitate florentes vita fuerint divinae majestati adhererebant, sedentes super sedilia ante Dei thronum. Quomodo ergo non solum senes, sed seniores nancupantur apparebat hic Dominus foris ad judicium de cuius forma dicitur Dan. 7. n. 8. Aspicebam donec throni positi sunt, & aliquis de eorum sedit, & capilli capitis ejus quasi lana munda. Ecce Deus introducit senes, & plenus dierum, ac canus; non ergo mirum, quod cum coequentes etiam si juvenes sint, canitie ac senectute se exhibeant, & seniorum numero adscriptos, quia verè Deum colit, ac sequitur, quantum fieri potest ejus intendit habitum, formam, ac modum imitari, illumque semetipsum adaptari, illiusque similitudinem in se plantare, Rupert. in c. 1. Apoc. Illud sciendum ait, quia quisquis coram suo cano capite assurgit, & canis ejus ca. illis reverentiam facit, id est verba ejus dignè suscipit propter hoc ipsum, quod verba ejus sicut p. t. & meditantur; ipse quoque canescit, & senex appellari meretur nostratis sapientiam, cum dicit, senectus venerabilis est non dicitur nec auctor non numero computata Expedit illud: Candidis ejus capitis reverentiam facit. Quando scilicet eam sequitur & imitatur.

QUESTIO XIV.

Quare viginti quatuor sedentes apparent non subjucorum, sed seniorum specie?

110.

Bene advertit Viegas, quod viginti quatuor seniores hic apparent sedentes, cum tamen in Sacris litteris nunquam Angelos sedentes legimus apparuisse. Hic. 6. num. 2. Seraphim stabant, Daniel 7. num. 10. Millia millium ministrabant ei, & decies milia centena millia assistebant ei. Tob. 12. num. 15. Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui assistans ante Dominum. Ac homines hic sedent, Match. 19. num. 28. Sedebitis & vos super duodecim sedes. Et ad Eph. 2. n. 4. Deus autem confedere fecit in caelestibus in Christo Jesu. Ecce quanta hominum dignitas propter Christum, & ad quam nos evexit gloriam Deus ut tot principibus stantibus, ipsi in pulcherrimis thronis confideant. Secundo norandum ex Hugone, ac Dionysio in antiquo templo Sancta Sanctorum nulla habuisse sedilia, nunc verò manifestantur in caelo; nam postquam Dominus Jesus introivit in Sancta non manufacta, ibi ceperunt hominum sedes, quae antea non fuerant.

111.

Quaestio tamen principaliter inquit, quare hi viginti quatuor sub senili specie apparent sedentes? Prind. Richard. de S. Victore hoc refert, quia ut iudices se habebant, & inde cum sede, ac canitie apparent; quia animus quietus, & canus, ac maturus sensus maximè ad iudices spectat.

112.

Ex quo sic subjicit ipse Richardus. Quod vero, ait, Iris primum per circuitum sedis Dei esse describitur: ac deinde seniores per ejusdem sedis circuitum esse commemorantur, exprimit ipsos seniores supernum judicium quod inter se, & Deum audiunt describi, semper debere pertimescere, & ipsum semper attendendo semetipsos districte judicare, & firmam alios judicandi sumere debere. Duo stabant in circuitu divini throni; in primis erat Iris, deinde aderant viginti quatuor seniores. Et cur in primis ponitur Iris in circuitu divinae sedis, quam seniores illi: In Iris ostendebatur judicium procedens à sede divina, & inde Deus Judex depingitur sedes in Iris. Vide sup. q. 10. n. 71. in senioribus vero illis denotabantur iudices, ac gubernatores mundi, qui maximè se debent approximate judicio divino, & juxta illud se gerere, ac componere mores suos, suasque actiones, & deinde ad aliorum censuram procedere, & ex modo, quo pra oculis habent divinam

Homo pra oculis habent Dei judicium, ut inde discant alios judicare.

Commonis tamen sententia est, quod licet hi viginti quatuor essent Angeli, in seniorum tamen specie apparent ob eorum gravitatem, prudentiam, sapientiam; sic & senatus olim de senibus eligebatur, & à senibus senatus dicebatur, ut ait Cicero lib. de senect. Uteretur consilio ratione, sententia quae nisi esset in senibus non suum consilium majores vestri appellarent senatum. Et licet postea senatorum & principum filii; cum essent juvenes, defunctis parentibus in magistratus succederent, tamen hi à prima nomenclatura vocabantur seniores, sive senatores. Sic & principes viginti quatuor familiarum sacerdotium 1. Paralip. 24. n. 5 qui appellabantur Principes Sacerdotum, & Principes Dei, seniores dicebantur; ad quod ut vult Alcazar alludit Psal. 106. n. 32. In Cathedra seniorum laudent eum. Et hinc videtur quod vox Hispanica Senor derivetur à Gotico nomine Sor, quod dominum significat, ut docet D. Aug. Epist. 178. Multi alii, & fortasse probabilius, a seniore derivatum dicunt.

Quarto, Pineda in Job. 19. vers. 5. Quod sapientissimus Deus, qui nullius consilio eget, pro nostro documento, formam optimi Principis praebens, hos seniores habet veluti in consilio, Canit David Psal. 88. n. 8. Glorificetur Deus in consilio sanctorum, magnus & terribilis super omnes, qui in circuitu ejus sunt. Et statim subdit: Et veritas tua in circuitu tuo. Tunc Deus dicitur glorificatus, ut exponit Pineda, cum hi seniores, in consilio assistunt; & subditur: Et veritas tua in circuitu tuo. Ac si tunc magis, ejus veritas, fidelitas, ac sapientia & glorificatio innotescit, patet, & ideo dicitur glorificatus in consilio Sanctorum.

Ex quibus bene etiam infertur, quales debeant esse principum consiliiarii; nempe primò assenti jugiter Principi, & semper ei ad manum sint tanquam in circuitu. Secundo, senes; sicut experientia, prudentia pollentes. Tertio circum-

113.

Dan. 7. Qui Deum colit, ac reveretur, ipsi sum similitur, & imitatur.

Rupertus.

114.

Cicero.

Senes in multa veneratione.

1. Paralip. 14.

D. August.

115.

Pineda.

Deus nos docet consilio sanctorum.

Psal. 88.

116.

amicti, candore, & sinceritate. Quamò coronas habeant in capite, praediti animo regali, & libertate suggerendi, pronuntiadique quod rectum, & justum judicaverint. Quintò, sedentes, sint animo quieto, & sereno, & non praecipites in negotio ne qualibet re perturbentur. Sextò, procident ante thronum, non sint tenaces judicio, sed illud Principi subdant. Septimò, rigido silentio & secreto relinquunt librum arcanorum ob signatum. Octavò, nullus se intromittat ad librum referendum, sed omnes permittant Agno, ut illum aperiat, sapiens enim minister non vult abditos ipsius Regis sensus penetrari, ac scrutari, plusquam ei datur.

Ad scopum nostrum. Et in circuitu sedis sedilia viginti quatuor: & super thronos viginti quatuor seniores. Quamvis in infinitum excellat Divina sapientia beatissimas mentes Angelos videlicet seniorum nomine denotatos, tamen pro nostra informatione videtur cum eis concilium celebrare, & hos seniores tanquam consiliarios adhibere ad rectam universitatis gubernationem, sic in exordio rerum ad creationem Adami tanquam ex senatus consulto inter tres Divinas Personas, ait Aeterna sapientia, Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Genes. 1. num. 26 quod ponderans Tertullian. lib. de Resurrect. cap. 6. ait: Recognita ad Deum occupatum esse ac deditum manus, sensu, opere, consilio: & ipsa in primis affectione qua lineamenta dicebat. Magnitudo re magna consilium à sanctissima Trinitate inritum erat, cum fortuna Adami universa excenteretur antequam fieret. Occurrebant inibi, Adami scelera, scelerum medicamenta, Medici labores; sed re lentè excussa, decretum est ut Adamus conderetur, & adornaretur bonis plurimis. Rupertus lib. 2. in Genes. cap. 1. ibi. Nostra, ait, in medio causa posita est, & inde consilium habitum, ut unaquaque persona sui operis partem susceperet.

Cum populus esset in deserto Sin, & ob magnam aquarum penuriam audacter populus commotus contra Moysen murmuravit, cur eos fecerit exire de Aegypto, ut eos in illa vasta solitudine occideret, & quasi devotum est, ut Moyses clamavit ad Dominum dicens. Quid faciam populo huic, adhuc paululum, & lapidabit me. Sic atrociter, ac probrosè contra Moysen actum est, tunc ait Dominus ad Moysen sume tecum de senioribus Israel: & virgam, qua percussisti fluvium, tolle in manu tua, & vade. Ego stabo ibi coram te super petram Horeb. Exod. 17. num. 5. Quorsum hic seniores populi secum comites sumere jubetur Moyses? Ipse secum defert virgam tantorum miraculorum patratrie; ei praesentia Dei pollicetur super petram, ut ipsa percussa larga aquarum fluentia praebear ad populo sitienti subveniendum; ad quid ergo Moyses secum adducet seniores; etiam ipsu miraculum pro totius populi salute perpetratum, & ex Dei jussione, ac cum ipsa praesentia Dei, & cum virga tantorum miraculorum operatrice non vult Deus fieri, nisi seniorum interveniente consensu; ut undique ab omnibus sit approbatum, omnibusque proficiat Lippomanus: Antecede populum, ait, praire enim debet fidelis dux, & non praemittere: nihil sine consensu, & favore seniorum tentare, si modo velit Sylveira in Apocalypsim. Tom. 1.

proficere cum fructu, & proficere feliciter cepta. In re magni ponderis valde necessarius seniorum consensus, quamvis enim miraculum esset maximè exoptatum, Dei imperium vigeret, Dei praesentia adit, virga miraculorum mater asportetur; adhuc seniorum consensus, & favor requiritur. Si modo velit proficere cum fructu, & proficere feliciter cepta. Ut cum seniorum consensu operationes Moysis essent in majori reverentia apud populum, illique magis acceptae, ac gratae.

Magnus Paulus post quatuordecim annos veniens Ierosolymam, adit Petrum & Jacobum, & suum de fide docenda modum explicat, & cum eis confert suam doctrinam, suamque Evangelium. Et contuli cum illis Evangelium, quod praedico in gentibus. Ad Galat. 2. n. 2. Paulus raptus ad tertium caelum, ab ipso Divino Spiritu maximè illustratus, ac illuminatus, ut esset Doctor gentium ac magister totius Ecclesiae, ad quid veniens Ierosolymam confert suum Evangelium, suamque doctrinam cum Petro, & Jacobo? Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 3. Adeo ab illis probari desideraverat. Paulus tam magnus admodum prudens est, nec sibi fidit, nisi Petrum consulat, & ne à communi modo docendi aliquantulum discedat, communes magistros adit, ut eum illis suam doctrinam conferat.

QUESTIO XV.

Quare viginti quatuor seniores induiti vestibus albis coronas aureas habent in capite?

Prindò dicitur de his senionibus, quod habeant vestes candidas, deinde coronas aureas in capite. Per vestes albas, Glossa ac Viegas interpretantur virtutes, quibus sancti teguntur, & alben; Richard. de Sancto Victore integritatem, ac rectitudinem boni operis; Pannonius, & Richelius castitatem, ac sapientiam Dionysius Carthusianus castitatem; Rupertus aeternam jucunditatem, & alii corporis gloriam. Tamen cum infra Joannes byssinum, quo sponsa Agni albet, interpretetur justificationes sanctorum, verisimilius nobis videtur per haec candida vestimenta virtutum ornamenta intelligi.

Ex quo fit quam aptè hi senes introducuntur tanquam consiliiarii supremi Regis, quia consiliiarii debent esse animo puro, & quieto, ac etià regali dignitate fulgentes cum coronis aureis, quia solum ubi est puritas, animi integritas, virtutis dignitas regalis fulget, vel etiam ut sapientes cum coronis se exhibent; corona enim signum sapientiae erat, & solum ubi est virtus puritas, invenitur sapientia. Divus Bernardus Senensis in Praelato, ait debent esse quatuor, scilicet maturitas ob id vocantur senes; tranquillitas, propter hoc dicuntur sedentes; virtus puritas, & ob hoc sunt circumamicti stolis albis, sapientiae perspicacitas, & ideo habent coronas aureas. Similiter Caelius Pannonius, Nihil aequè, ait in populi iudicibus flagitat Deus ac sapientiam, cum morum integritate, ac justitia; ergo corona aurea

119.

Galat. 25

Nec sibi Paulus fidit, nisi Petrum consulat. Tertull.

120.

Quid significet vestis candida. Glossa. Viegas. Richard. Pannon. Richelius. Carthus. Rupert.

121.

Puritas, com. veniens Regibus, ac sapientibus.

D. Berna

Pannon.

aurea in capitibus iudicum vise sunt, qui circumamicti vestimentis albis erant, quia videlicet sapientia seculari praeminere debent, & vicia castimoniam, ad hoc ut iustitiam teneant iudicando, in quo casti esse debent, cunctique ut non despiciamur.

Secundò, rectè cum dicuntur vestimenta alba simul, & coronæ aureæ in capite; per vestimenta alba virtutum ornamentum ac puritas indicabatur, per coronam auream beatitudo illis ut præmium correspondens; sed quæ similitudo coronæ aureæ cum gloria? aurea dicitur ob illius excellentiam, & præstantiam, & beatitudo etiam cum corona assimilatur, quæ cum sit orbicularis, sine caret, ad denotandum gloriam finem non habituram, sed æternam esse. D. Bonavent. tract. de septem donis Spiritus sancti, cap. 11. Sapientia suos charissimos inebriat & patria regnare facit; dicens illud. Proverb. 8. Per me reges regnant, Regnantes autem coronas aureas habent in capitibus, rotunditas autem coronæ significat illius regni æternitatem.

Tertio, vestimenta alba sunt signa, & indices lætitiæ, ac iucunditatis; coronæ aureæ ejus perpetuitatem, ac æternitatem indicant; tum quia coronæ sunt orbiculares sine carentes, deinde quia aureæ; nam aurum, ut dixi cap. 1. nec ævo, nec igne consumitur. De vestibus albis Andreas Cæsariensis. sic ait: Candida stella, solum sunt perpetue felicitatis, solidaque lætitiæ qua Beati potiuntur.

Quarto, citatus Andreas Cæsariensis, per coronas iustorum præmia, ac retributiones interpretatur, sic & ait Cornelius, quod coronæ notant eorum victoriam, & trophæum; quod est quod quando seniores apparent sedentes super thronos circumamicti vestibus albis, & in capitibus eorum corona aurea, tunc Deus in eorum medio residens tenet in manu librum, ut ipse Joannes explicat cap. 5. num. 1. Et vidi in dextera sedentis super thronum librum scriptum. Cur quando Deo assistunt vicini seniores sedentes super thronos vestiti vestimentis albis, ubi suum eximium virtutum splendorem, habentes coronas in capite in signum sui eximii honoris ac dignitatis, Deus in sublimi sede residet, tenens libram in manu. Ad quid liber iste? Andreas Cæsariensis, & Aureolus auctumant, quod in illo libro opera sunt acta omnium hominum. Ideo quando seniores in tam nobili loco, cûr purpura, & corona assistunt Deo proximi? hic liber in manu Dei cernitur, ut fiat evidens, quod senes ad tantum apicem evehantur non effectu impellente, sed recto iudicio illorum facta discutiente, quæ in illo libro exarata erant, & aperte legebantur. Andr. Cæsariensis. Per seniores, ait, accipiuntur viginti quatuor, qui actione, & cognitione præcæteris excelluerunt.

Quintò, Richardus lib. 2. in Apocal. part. 2. cap. 2. addubians, ait, in capitibus habent coronas in mundo sperando; in cælis, possidendo gloriam. Exprimebantur per hoc seniores sancti, qui in hac vita indefessè Deo assant, sed illud maximè expendendum quod jam coronati appareant. Corona enim non venit nisi post finitam hujus vitæ militiam; quomodo ergo qui adhuc erant in certamine, coronis jam insigniti erant cum coronas in patria essent habituri, illa quæ à Deo sperarent, jam in præfenti qua-

73. Donatus facit atq. 76.

Prov. 8.

123. In oculis perpena latia.

Andreas.

114. Andr. Cæsariensis. Apoc. 5.

Andr. Cæsariensis. Perfecta dignitas consistit in meritis.

Andreas.

115. Richardus.

Quæ à Deo sperantur habent in possessione.

si in capitibus positas habebant; sic certa sunt quæ in Deo nituntur, ac sic jam in possessione sunt. Pendens Jesus in cruce, ait Latroni, Luc. 23. n. 43. Hodie mecum eris in Paradiso. Aliqui nomine paradisi cælum intelligunt. Quomodo ergo potuit latro ipsa die esse in cælo, in quo tunc Jesus non fuit. Theophyl. in catena Græca apud Lucam sic ait, Alii autem dixerunt, quod latro nondum sortitus sit in paradiso, sed quia invariabilis sit, & fallere nequeat Dei promissio, ideo dictum esse: hodie mecum eris in paradiso, Est enim hæc species phrasos in verbis Domini, ut de futuris loquatur: tanquam de iis, quæ jam sunt. Sic certa sunt, quæ à Deo sperantur, ut habita reparantur.

Sextò, & maximè ad litteram, seniores habent coronas in suis capitibus, per quas non tantum indicatur eorum victoria, & triumphus, sed potius illorum dignitas, & excellentia; nam cum Deus sit supremus, & altissimus omnium Monarcha, sub se habet multos Reges, qui ad ejus concessum, & senatum vocantur. Qui enim Christo adherent, eique intimo amoris affectu serviunt, reges fiunt, ac constituuntur.

De Christo Domino decantat Regius Vates Pl. 44. n. 3. Diffusa est gratia in labiis tuis; propterea benedixit te Deus in æternum. Et post pauca subdit, unxit te Dominus oleo lætitiæ pro participibus tuis. Duo manifestantur in meo Jesu, dicitur benedictus à Patre, deinde unctus. In benedictione, Benedixit te Deus, intelligitur filiorum adoptivorum propagatio, ac multiplicatio, Genes. 1. num. 28. Plurimis parentibus benedixit Deus, & ait: crescite, & multiplicamini. Ad quid deinde unctio fuit addita? Ut ostendatur differentia filiorum Adam, & filiorum Jesu; qui enim ab Adam veniunt ut à terro, & peccatore nascuntur in misera servitute. In servitute generantur. Qui autem sunt à Jesu, ut à supremo Rege uncto veniunt, ut jam non sint servi, sed filii, & Reges, & ideo in Christo adunatur benedictio, seu multiplicatio filiorum, cum unctio, & dignitate regali. Rupertus lib. 1. de operibus Spiritus sancti cap. 3. Jesu autem, ait, ad quid Deus benedixit? Ad quid illum unxit oleo lætitiæ pro participibus suis? Nimirum ut & ipse cresceret, & proficeret usque ad dexteram majestatis, & omnia subicerentur illi, multiplicareturque in filiis suis, imò in fratribus suis, filiis Dei, filiis adoptivis; ad hoc benedixit huic benedictione regali. Omnes quippe, qui ejus benedictione creverunt, Reges sunt; unde dicunt, fecisti nos Deo nostro regnum.

Dicitur Cantic. 6. n. 7. Sexaginta sunt Reginae, & triginta concubinae, adolescentularum non est numerus. In tres partes totum mysticè cæleste regnum dividitur. Et unde venit, quod quædam sint Reginae, & aliæ concubinae, & adolescentulæ? Unde hæc sunt Reginae? ex eo nempe quod metu excludo intimo amoris vinculo Deo copulantur, inde ex tali conjunctione regali corona resplendent. D. Nyssenus homil. 15. in Cantic. Quæ igitur, ait, per affectionem quandam perfectiorem, desiderio incorrupte integritatis cum Dei puritate quasi commiscetur, Regina propter regni societatem appellatur.

Luc 23.

Theoph.

116.

117. Pl. 44.

Genes. 1.

Christus suos amatores facit reges.

Rupertus.

18. Cantic. 6.

Ex intimo amore Dei Reges sumus.

D. Nyssenus.

QUESTIO XVI.

In quonam tempore seu instanti seniores sedentes habebant coronas in capite, nam cum sine requie animalia darent gloriam Deo, ipsi mittebant coronas ante thronum?

Grandis difficultas sese nobis offert: nam in præfenti ait Joannes, quod super thronos viginti quatuor seniores sedentes, & in capitibus eorum corona aurea. Et tamen versu 8. quatuor animalia describuntur incessanter Deo canere laudes, & Cantica. Et requiem non habebant die, ac nocte dicentia Sanctus, Sanctus, Sanctus, & c. Et tamen numero nono & decimo de senioribus dicitur: Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, & viventi in secula seculorum: prociabant viginti quatuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viventem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum. Ecce difficultas, quomodo hæc coherere possunt; nam Evangelista testatur, quod seniores sedentes super thronos habuissent coronas aureas super capita, & quod animalia incessanter sine requie die ac nocte dum decantarent divinas laudes illud Trysagium innotantes, seniores coronas ante thronum deponerent; ergo nullum est instans assignabile, in quo seniores coronas suis capitibus super positas haberent, cum nullum assignari valeat instans, in quo animalia à divinis decantationibus cessaverint.

Respondeo primò, quod coronæ illæ, ut hic habet Andreas Cretenensis, denotabant horum Sanctorum egregias virtutes, ac victorias, quibus coronati sunt à Deo. Quomodo ergo coronas deponerent deponerent quidem ante sedentem in throno, ut denotarent, victoriam, quam de mundo, carne, ac vitiiis retulere, & gloriam ac coronam, quam exinde possident, non sibi, sed Deo tribuendam esse, & cum coronas suas Deo referant, inde maximè illis coronantur, ac condecorantur. Ansbertus. Inferius, ait, coronas suas ante thronum seniores posuisse dicuntur, id est victoriam, qua de mundo, ac mortis principibus triumphant, Deo assignasse. Quod etiam habet Joannes Cassianus collatione ultima cap. 1. de Abate Abrahamo. Si qua; ait, proinde gloria viginti quatuor seniores ob institutionis sue meritum fuerint coronati, illi qui pro salute mundi immolatus est, Agno subiectis sunt capitibus oblaturi: ipse enim & illis tam eximium sensum, & nobis qualemcumque sermonem, quo tanta profunditas promeretur, propter honorem nominis sui donare dignatus est; & necesse est ut ad antiores honorum omnium munus sui merita referantur, cui hoc ipso debetur amplius quod regis sortitur.

Secundò. Habent coronas in capite, ut pote signa regalis dignitatis, & dicuntur ipsas coronas dimittere, ac proficere ante thronum, quia tanto honore se indignos judicabant, quando enim magis quis se reputat indignum sui mu-

neris tantò magis illo nobilitatur, & extollitur, & quia se reputant indignos corona, inde corona sublimantur, & extolluntur, ac coronati apparent. Sic 1. Regum cap. 19. num. 21. Dum fors de regno mitteretur, pervenit usque ad Saul filium Cis, quæserunt ergo eum, & non est inventus, quia absconderat se & humilis refugiebat imperium, quo se indignum judicabat, sed quantò magis refugit honorem, tantò magis honos eum quæsit, ac omnium multa fatigatione, quia inde maximè dignum eum agnoverant. Josephus lib. 6. de Antiquit. cap. 4. Quibus erat dignaturus querendum se, non sine eorum fatigatione fecit.

Tertio, ait Evangelista quod viginti quatuor seniores prociabant ante sedentem in throno, & mittebant coronas suas ante thronum. Quod nihil est aliud quam divinam majestatem sedentem in throno revereri, propriam suam vilitatem recognoscentes. Quid ergo mirum quod coronas super capita repositas habeant, nam quod in Dei cultum datur, maximè lucratur, ac magno fœnore possidetur ac habetur, & idem est eas in Dei cultum, ac reverentiam abjicere, ac eas super capita sua elevare, nam quod in Dei honorem, ac cultum datus in multum nostrum decorem cedit: ad quod forte respicit hic Richardus Victorinus. Sancte coronati illi, ait qui ante Divini Agni thronum prostrati conja ent.

Quarto, Rectè noster Joannes dixit has coronas seniorum capita ornare, ac ante thronum in pavimento dimitti, quia idem est humiliter propter Deum se abjicere, ac regio diademate coronari. Optimè ergo coheret semper seniores capita sua cum coronis insignita habere, & ante thronum sedere, cum eo quod statim refert Evangelista, quod prociabant coram sedente in throno mittentes coronas suas. Nam idem est propter Deum coronam dimittere, ac illà sublimari, sedere in circuitu throni, ac humillati; & uno verbo totum dicam; Sic Deus humiles exaltat, ut spontanea abjectio, certa via sit ad regium diadema. Quod dixit eleganter Divus Chrysostomus homilia de Josepho, de ipso ministrante in domo Putiphar, sic ait: Ministrat ut servus; ut famulus parat, domestica complet officia, nec obsequendo deest in aliquo, ut humilitate perciperet, quidquid illi ingenie necessitatis gloria præstitisset. Expende illud, humilitate perciperet: gubernaculum, ac clavum totius Egypti.

Ut completetur numerus duodenarius Apostolorum, unus ex discipulis erat eligendus qui tam alta, & sublimi corona esset insignitus, ut dicitur Actorum 1. num. 23. Statuerunt duos, Joseph, qui vocabatur Barabas, qui cognominatus est Justus, & Mathiam; & cecidit fors super Mathiam, & annumeratus est cum undecim Apostolis. Ecce relinquitur Justus, & eligitur Mathias, qui teneat Ecclesiæ culmen, & apicem, ut cum sederit Dominus in sede majestatis, ipse etiam sedeat super sedem suam. Quid habet Mathias, quod in tanto honore præferatur ei, qui justus dicebatur? Mathias idem sonat, ac parvus Dei, seu humilis, & cum ipse inter omnes se humilem, ac parvum reputaret, non multum mirandum quod in regno Christi ad summum Principatum sit exaltatus, & inter duodecim Apostolica astra radiat, quia

Qui se indignum dignitate iudicatis, illius est dignus. 1. Reg. 10.

117.

Quæ ob cultum Dei damus maximè possidemus.

Richardus.

113.

Christus se deiecit propter Deum coronatur.

D. Chrysostomus.

114.

Actos. 1.

Humilitas nos elevat ad alta et sublimia.